

# 25<sup>TH</sup> LATIN SUMMER SCHOOL

14<sup>th</sup>-18<sup>th</sup> JANUARY 2019

Eastern Avenue Building, University of Sydney

## **LEVEL 4.7**

**Rebellion at Rome: a masterpiece of  
Renaissance Latin narrative**

**Instructor: Frances Muecke**



Level 4 — Rebellion in Rome  
Frances Muecke

4-5 sections per session, depending on length and difficulty

These passages, mainly from Biondo Flavio's *Decades* (a history of Italy from AD 412-1446, published in the 1450s), deal with a revolt of the Romans against the pope, Eugene IV, in June 1434. Biondo, a humanist historian, and also a member of the papal administrative team, was not an eye-witness to the events, but he was in a good position to learn what had happened. The Biondo scholar Nogara says: 'The pages that Biondo devotes to these events can be cited as among the best examples of humanist narrative prose.'

*Preliminary reading*

On Biondo:

Denys Hay, "Flavio Biondo and the Middle Ages," *Proceedings of the British Academy* (London: Oxford, 1960), pp. 97–125.

Introductions to Muecke-Pincelli, *Rome in Triumph*, Harvard 2016; White, *Italy Illuminated*, Harvard 2005.

On the context:

Elizabeth McCahill, *Reviving the Eternal City: Rome and the Papal Court, 1420–1447* (Cambridge, MA: Harvard University Press, 2013) esp. 72ff.

Anthony F. D'Elia, *A Sudden Terror: The Plot to Murder the Pope in Renaissance Rome*. Cambridge, MA: Harvard University Press, 2009, 40-50.

The Short Version (Pius II, *Commentaries* 3.16)

Philippus Eugenio infensus, qui superiori bello Venetorum partes iuvisset, concilio adhaesit, misso Francisco qui Picensem agrum invaderet ac concilii nomine possideret. Neque sic pontificem satis ultus paulo post Picinimum ire iussit, qui pari modo reliquum Ecclesiae patrimonium laceraret. Ingens tum motus Ecclesiae terras involvit, Francisco Picenum, Nicolao Umbriam vexante.

Eugenius paulo ante civili tumultu Romae captus, plerisque diebus apud ecclesiam Beatae Mariae trans Tiberim custoditus tandem clam fugerat, et Florentiae sese receperat.

**Dramatis personae**

Filippo Maria Visconti, Duke of Milan (r. 1412-1447)

Niccolò Piccinino (1386 – 15 October 1444) served Filippo Maria Visconti in Wars of Lombardy (1423-1454) against Pope Eugene IV, Florence and Venice



Eugene IV (1383 –1447) elected pope in 1431 when he dissolved the Council of Basel, but it kept going despite him. One of the matters discussed at the Council was the scope of the pope's powers.

From the Lead-up — why Biondo wasn't there

Biondo, *Decades*, p. 479 ... sive diuturnitas belli fastidium fecisset Romanis, sive Nicolai Piccinini, quem ducis Mediolani corculum esse constaret, adventus quosdam a pontifice abalienasset, in querimonias prorumpabant, a quibus ad illa usque tempora fortiter temperassent. Curialibus vero eam ob rem pontifici migrandum fore suadentibus, is [Eugene IV] forti nimis respondebat animo, Romam sibi non esset tam faciliter relinquendam. Cumque ab divi Grisogoni aedibus ad Virginis Transtyberinae basilicae a navalibus remotiorem se contulisset, multi sarcinulis caute praemissis, prout cuique sese obtulit occasio sunt profecti.

Quamobrem pontifex praesidia sibi parare cupiens, quae in Sfortia satis firma cerneret futura, si modo eum posset datis pecuniis obligare, episcopum Recanatensem Florentiam, nosque Venetias simul misit de stipendiis Sfortiae apud Calcarellam promissis acturos, ... et triremis quam Florentini Pisis habebant, sibi obviam mitterentur. Secundo navigantes Tyberi, in inferum delapsi pelagus dextrum radabamus Hetruriae littus, et promontorium quod dicitur caput montis superantes, subiectum Centucellum portum intendebamus, tranquillo tum forte per meridiem mari, multa in eo littore antiquitatis monumenta, priscorum scriptis celebrata, e puppi biremis qua vehebamur episcopo ostendebamus, quae ad turres locorum, quae sunt Pyrgi Veteres, quam Graviscae, cum sex de improvise triremes inflatis adesse velis conspicimus, quas duci Mediolani e Genua esse docuerunt insignia.

### **Dramatis personae**

Francesco I Sforza (1401-1466) fought for Filippo Maria Visconti. In 1433-1435, Sforza led the Milanese attack on the Papal States. While campaigning against the papal territories he changed his allegiance to Pope Eugenius IV. 'In March 1434 Eugenius had sent two envoys to find Sforza at the little village of Calcarella, near Tuscania; one of them was the secretary and humanist historian Biondo of Forli.' Peter Partner

Giovanni Vitelleschi (1396-1440) 'born for the camp, not for the altar' 'cruel and pitiless, shrinking from no crime' (Gregorovius); fighting bishop of Recanati from 1431, he was commander of the papal armies of pope Eugene IV when Rome revolted in 1434 and put

down the insurrection in the following October, in a display of ferocious cruelty. Biondo in *Italia Illustrata* says (2.20): 'In our day Corneto had a figure of great distinction in Cardinal Giovanni Vitelleschi. He came to an unhappy end and died in Hadrian's tomb, the Castel Sant'Angelo.' His downfall and murder in 1440 was countenanced by Eugene — he was corresponding in cipher with Piccinini. Biondo was his secretary in 1432.

## The Main Events

*Decades*, p. 481-4

1) Quo nanque tempore defecerunt ab Eugenio pontifice Bononienses\*, Romae etiam omnia pessime successerunt. Romani enim ducis Mediolani et Nicolai Piccinini apud Vetrallam\* Sphortiae oppositi instigationibus impulsus, simul potentatus pontificis desperatione adducti, ad diem Kalendarum Iunii tertiam, Ponceletto cive Romano, paucis perditissimis sese duces exhibentibus, Capitolium invaserunt, et populi libertatisque dominatu per urbem acclamato, portas urbis praesidio firmaverunt, excepta Appia, quam Sphortiani, Michelettus, Laurentius et Leo\*, de tumultu certiores facti obsidione Tiburtina\* ocius soluta, praemissis frumentatoribus occuparunt. Eaque praesidio munita, cum a Valmontone\* aliisque oppidis familiae Comitum acciperent commeatum, ad divi Pauli basilicam consederunt.

\*The Bolognese expelled their papal governor. Bologna was part of the Papal States.

\* Near Viterbo in southern Etruria., therefore close to Rome.

\*Micheletto and Lorenzo Attendolo and Leo Sforza, relatives and supporters of Francesco Sforza.

\*Niccolò Fortebraccio was a freelance general who had been employed by Eugene but was sacked. He had captured some towns near Rome, including Tivoli.

\*Valmontone is about 45 kms south of Rome. Ildebrando Conti, father of Lucido, see below, was the lord of this area.

2) Postera die quam erat tumultuatum, Romani pontificem adeuntes multis sunt questi de gravibus diuturni belli incommodis, de civium inopia, de maioribus periculis quae prospicerent impendere, et aliam sibi regendae urbis rationem ineundam, rem quoque publicam sibi capessendam fore clamitantes, Adriani molem\*, quod dicerent Crescentii castellum, arcemque Ostiensem\* postularunt demandari custodienda civibus, quos ad id muneris publico consilio delegissent. Quibus perficiendis cum dilatio et mora temporis opus

essent, Franciscum Condulmarium\* cardinalem Venetiarum pontificis nepotem camerariumque interea dari obsidem contenderunt.

\*Mausoleum of Hadrian

\*Rocca di Ostia (rebuilt by Julius II)

\*Francesco Condulmer, Chamberlain of the Roman Church 1432-1440, primarily responsible for the government of the Papal States. Later his palace was above the ruins of the Theatre of Pompey in the Camp de'Fiori.

3) Pontifice vero mitius respondente et ut curam civitatis ipsi suscipere permittente, atque etiam suadente, instare illi et arces immoderatus petentes, camerarium quousque redderentur pro pignore efflagitabant. Eoque temeritatis et audaciae sunt progressi ut cum perhumane responderet camerarius, ac maiora postulatis melioraque diceret a pontifice concedenda, aspere in eum licentiusque locuti, manus iniecerint abstraxerintque illum a sinu pontificis, multis obortis lacrimis, ne tanto Romanam urbem coinquinarent flagitio exhortantis.

4) Pontificis post haec domum\* frequenti custodia saepientes, ripae Tyberis curam eo consilio efferatioribus commiserunt, ut quotquot appellerentur naves, tamquam asportaturae pontificem mergerentur. Eo exauditio Romanorum tumultu, cardinalis Comes\*, qui in domum Pauli Cocci Romani civis diverterat, mutata veste scapham sub Flaminia porta conscendens, in Adriani molem Tyberi adnavigavit. Cardinalis vero Ursinus\* deducente Ursino fratre Nerulam\* petiit, castellum quod paterna haereditate munitissimum possideret.

\*i.e. at S. Maria in Trastevere where he had fled.

\*Lucido Conti, on the side of the pope against the Colonna family, who supported the insurrection.

\*Giordano Orsini. Papal legate given important commissions and patron of the arts. Opened the Council of Basel and defended the rights of the Pope.

\*Nerola, in the Sabine country to the north of Rome.

5) At Recanatensis episcopus\*, quo tempore Tollentinas\* civitatem se contulit, Urbeventanam\* miserat etiam Florentinorum triremem, qua pontifex posset securus Pisas, prout constiterat, navigare. Sed cum paucis ante rebellionem diebus Romani, illa in navalibus visa, de pontificis fuga obloqui ocepissent, eam ipse multis quibus esset necessaria profectio permiserat ad Civitatem veterem\* perducendam. Quia vero insularum Italiae plurimi pyratae,

quamprimum curiales Romanorum fidem dubiam ducentes, suppellectilem audiverant emittere Romanum litus et portum Ostiae latrocinii infestabant, Eugenius pontifex triremam unam, cui praeerat Vitellius pyrata Hischeus\*, mercede conductam, praesidio adhibuerat. Nec erant qui suspicarentur illum se tali commissurum viro, quem pyratam stipendio omnibus quicumque petivissent facere solitum audivissent.

\* Giovanni Vitelleschi (see above)

\* Tolentino. Biondo says in *Italia Illustrata* 5.18 'ancient and populous town of Tolentino'. It is not far from Recanati.

\* Orvieto

\* Civitavecchia (on the west coast)

\* Vitello d'Ischia

6) Detentus eo custodiae modo pontifex, Romanos benigne alloquitur adeuntes. Multa in rempublicam, plurima in ecclesiasticam nititur suadere, brevi futurum affirmans, si rem bono suscepissent animo, ut se urbis gubernandae molestia liberato, curam gerente rerum ecclesiae attentiores, illis autem Romanae rei, quam in libertatem propriam putarent vindicatam prudenter et ex animo consulentibus Romae status constitueretur optimus, sperarique licere, Romanam rem sub pontificibus talem denuo futuram, qualem sub principibus audiverant floruisse.

7) At illi, verba reddentes verbis, enixius contendebant ut Romam se conferret apud sanctum Apostolum\*, faustam domum praedecessoris sui moderaturus. Eam etenim vallo circumdatam honestam illi carcerem destinaverunt, quousque a Basiliensi concilio et ab duce Mediolani, quid de ipso fieret, mandaretur. Et tamen interea Piccininum missis oratoribus ut legionem adduceret, rogabant, pontificem illi et Romani pro duce Mediolani quamprimum advenisset, dare polliciti.

\*The palace of Martin V (later Bessarion's) at the SS. Apostoli has been rebuilt.

8) Domesticis vero et paucis qui in comitatu manserant praelatis, Blasio in primis Veneto, ex Demolina gente patricio, qui erat patriarcha Hierosolymitanus, Astorgio Anconitano, Nicolao Tropiensi et Angelo Parentino episcopis\*, per singulos dies pontifici renunciantibus, instare illi omnium etiam Romanorum qui sibi afficerentur iudicio capitis periculum et propterea ut fuga sibi consuleret suadentibus, magnam ipse confidentiam, de vi minimam suspicionem

prae se ferre, caeteros adhortari, fecitque huiuscemodi magnitudinis animi rumor, concordi domesticorum ex sententia loquentium voce disseminatus, Romanos de vi in pontificem deliberabundos, quam custodiendo adhibuerant diligentiam remittere et sese ad parandum apostolorum basilicae domum intentius convertere.

\*Blasio Molino, Bishops Astorgio Agnesi, bishop of Ancona, Nicolaus Acciapaccia, archbishop of Tropea in Calabria, Angelo Cavazza (a Venetian) bishop of Parenzo (modern Croatia)

9) Id cum esset pontifici exploratum, Nicolao episcopo Tropiensi dedit negotium ut se a curia profecturum dissimilans lembum suae accommodum fugae in navalibus compararet. Sed cum nimia Massiotti navicularis, cymbam cuius conduxerat episcopus, lautitia, ripam nanque navalium cui cymba erat alligata mundaverat cymbamque ornatus straverat, consilium esset detectum, remis Romani veloque Nauclerum spoliarunt et Tropiensem convitiose redargutum intra urbem a conspectu pontificis removerunt. Ioannes interim Miletus civis Neapolitanus pontificis cui tunc quatuor et viginti serviverat annis Soldanus\* forte Transtyberinam perambulans regionem, Valentino Neapolitano, qui Vitellio triremis gubernatori erat scriba obviavit, inter loquendumque comperit illum instauranda commeatu triremi scapham cum calonibus adduxisse. Blande igitur multa Neapolitanum concivem de Massiotti imprudentia allocutus, intelligit Valentinum postquam comparando commeatu advenisset facinus grande meditatatum id offerre quod ipse et plurimi anxie quaeritarent.

\* Office of the Papal Minister of Police

10) Scapham itaque paleis et ceno immundam inter navigia ubi a casu fuerat alligata conspicatus Valentinum Soldanus iubet expectare, medio in Tyberis alveo paratum, et calones commeatum interea a cauponibus comparare. Ad pontificemque evestigio reversus, oblatam esse fortuitu scapham renunciat omnium maxime idoneam, nullae per ornatum apparatusque Romanis suspicioni futuram, cuius ductor Neapolitanus civis et Vitellii scriba sese ultro obtulerit expectetque medio Tybridis alveo accessuros.

11) Dies erat Nonarum Iunii prima et hora tunc ab ortus solis septima. Quo in tempore Romani nocturna fatigati vigilia altum sub tectis et in umbra somnum capiebant. Pontifici ergo Soldanus refert occasionem optimam esse oblatam ut clam omnibus ad navalia ire possent. Tum pontifex cui extrema quaeque ante oculos versarentur, memor quamprimum advesperascet eundem sibi fore ad sancti apostoli aedes, ubi aut vitam finiat aut pontificatu

nefarie spoliatur, subito abeundi consilium capit. Ipse itaque et Soldanus, nigris quas in domo haberent monachorum sancti Pauli vestibus induti, e cubiculo egrediuntur. Posteriori exinde aedium parte descendentem, in inferiorem domesticis curialibusque frequentatam, ideo transeuntes se incognitos esse coniciunt, quod nullum vident sedentem assurgere, vel ex more in faciem se prosternere, et mulas conscendentes strigosissimas, quibus monachi sancti Pauli consueverant vectari, porta egressi domus posteriore, ad navalia stadio distantia a nullo recogniti pervenere.

12) Erat forte tunc patriarcha Hierosolymitanus repentini pontificis consilii non ignarus et episcopi Anconitanus ac Parentinus in aula simulantes pontificis audientiam expectare quos adveniens turba Romanorum stipatus regionis Transtiberinae princeps Romanus civis interrogat, quid apud pontificem ageretur. Cui respondit patriarcha illum cum primum ex meridiano somno excitatus fuerit in conspectu se omnibus se facturum.

13) Valentinus interim a pincerna quae praemiserat Soldanus in ripae summitatem accitus, aegre depositum mula pontificem, Soldano adiuvante, retinet et per ripae devexum sustentat brachio descendente. Cumque scapham per litoris iniquitatem sicco male vidisset adhaerere, medium amplexatus per aquas ad femur vadis scaphae imposuit resupinum. Tunc remis ut iussi erant incumbentes socii secundo Tyberi advolaverunt. Converterat in se multos per ripam navalium fusos et in vicinis existentes navibus novae rei spectaculum, monachos qui citato advenissent gradu, dimissis sine custode mulis, ripa praecipites actos esse, et alterum viribus vegetum scapha ingressum arma remosque raptim expedivisse, alterum nisi tacuisset rapto et violenter abducto similem fuisse in scapham umeris comportatum. Augebat admirationem scribae omnibus noti familiarisque praeceptis sine cuiusquam salutatione profectio. Dum tamen cunctabundi alter ab alterius pendet iudicio, Valentinus navalia turrimque custodiae praeterlabitur.

14) Reversus interea domum pincerna patriaechae Hierosolymitano renunciat pontificem se vidente navim ingressum abscessisse. Et cardinalis sancti Marcelli, quem pontifex capto camerario apud se retinuerat, a familiari suo certior factus pontificem veste monachali indutum recedere futura formidans mala, fugam et ipse intra urbem comparat; ministris vero perterritis et multa praecipitanter queritabundis illum comitantibus, Romani qui regionis Transtiberinae principem adduxerant illum in aulam adeuntes anxii renunciarunt inferiorem domus partem per cardinalis sancti Marcelli\* fugam direptae ab hostibus similem curamque diligentiore de persona pontificis habendam esse. Tuncque apud navalia\* derepente nova



incerto autore vox auditur pontificem esse qui simulato monachi amictu fugiens navigarit. Resonat clamoribus Transtiberina regio et arma omnes raptimque pontificem insequendum vociferantur. Quibus exauditis vocibus princeps regionis, postquam pontificem comperit profugisse, magno incensus furore patriarcham quem eius consilii conscium fuisse assereret, frustra rogantem comprehendi et in Capitolium duci, alios pontificem insequi, alios bona illius quae multa erant relicta populo Romana intacta servare iubet.

\* Antonio Casini cardinal of S. Marcello (jurist)

\* in the heart of Rome on the banks of the Tiber

15) Anconitanus vero et Parentinus episcopi aliique pontificis domestici, partim Adriani molem, partim Romam fuga praecipiti petivere. Eo perlato in urbem nuncio Romani armati inermesque in navalia concurrentes pars qua navi, quando aufugerit, quo fure abductus, interrogant, pars insiliunt equos, pars pedibus quacunque casus obtulit insequuntur, pars expedita, quam a Massiotto acceperant cymba tergo instare per fluvium properarunt. Fecerat fortuna, quae difficillimis quibusque novos semper addit labores, Valentinum non scapham triremis ut consueverat quam agilem elegantemque apud Ostiam Vitellus habebat, sed oblatam forte piscatoriam fluviatilemque populeam adduxisse, cuius carina picis ignara crassum pro ligni natura villis accipiens limum, sudantes remiges frustrabatur ut Veneto etiam per meridiem a mari immoderatus reluctante, quo maiori Ostiam petebant conatu, eo magis Romam referri viderentur. His remoratus causis Valentinus non prius magnum tortuosi amnis reflexum ad sancti Pauli octo passuum milia per aquae cursum ab urbe distantem, praeterlabi potuit quam Romani notis accurrentes semitis terrestri itinere dimidio breviori praeoccupassent.

16) Erat tunc forte per aestatis tempora fluvius aqua macer ut sinuosos recessus aquis pleniore scapha petere cogere et Tyberis complentes ripas Romani, pars de infimo secundum aquas alveo, hastis in fluvium iactatis, pars balistis\* et oblati forte missilibus quibusque telis desuper minabantur. Eorum territi aspectu Soldanus Valentinusque pontificem ut principio immissus fuerat resupinum scuto tegentes balistis quas etiam ipsi habebant in hostem versis, scuta duo sagittis hostium praetenderunt. Exortoque Romanorum clamore, minas inter et multa quae immittebantur tela taciti sunt delapsi. Qui vero navigantes insequi properaverant, cymba in subiectam turri navalium glaream impacta, desides substiterunt. At pedibus equisque insecti, licet primo frustrati essent conatu, nequaquam insequi destiterunt sed aliis item semitis qua se flectit amnis requisitis contumeliosissimas

unicunque exaudiri potuerunt voces in pontificem clamavere. Quod tamen spei [spem?] retrahendi pontificis principio habuissent, qui perniciose cursu praecesserant, ad anfractum quem porti dicunt in Portuensis agri ripa expectantes, scalmum\* piscatorium forte oblatum, expeditis iuvenibus compleverunt, eosque in Ostiensem ripam quae est e regione traicientes, iusserunt loca virgultis biblisque obsita insidere. Ut si forte pontifex, scalmus in Tyberi viso, armatis hostibus conserto, et ripam Portuensem multitudine innumera tectam cernens, terrestri et breviuscula Ostiam versus via in qua nullus appareret hostis excendens iret, fugiens caperetur.

\*could be used for crossbow or arquebus, predecessor of the musket.

\* scalmus, a classical but not common word, properly means 'oarlock.' Cicero *De officiis* 3.59 uses it by metonymy for a small boat.

17) Die interim ad vesperam declinante, qui pontificis scaphae obsistebat ventus remisit et mari cedente Tyberis rapidior defluebat. Stans igitur altiuscula puppi Valentinus hostes primus omnium et inimicum conspicatus scalmum remiges hortatur, praemia spondet a pontifice ingentia, gloriam memorat quae obscurissimo natos loco et genus honestabit suum qui Romanum pontificem sanctum virum faucibus canum eripuerint, quam omnes hactenus sanctissimi patris merito et miraculo per spiculorum imbres, per volantia undique tela, per adactas cominus pectori lanceas illaesi transiverint, memorat. Scapha interim concitatus delabens, hostili appropinquat scalmum. Videres Romanos ad scaphae conspectum per amnis ripas furentes, partim voce et iactatis in aera brachiis minitabundos, partim multa Valentino et remigibus, si pontificem traderent pollicentes, partim spicula, lapides, tela, eminus iacentes. Tunc qui scalmum armati insederant, proram medio amnis cursus obiiicientes, spicua et ipsi contorquent, lanceas quaquaversum quam possunt longe exerunt, ut nullus appareat securus remigi cursus quin utrobique praeterlapsurus viscera transfigatur. In eam adductus difficultatem Valentinus, impetendum hostilem scalmum proram prora, armis arma vociferat collidenda, lanceas subito Soldanus aliique stantes quatuor, scuta duo, tres balistas sedentes expediunt et medio ipse amnis cursu furibundus ruens Valentinus, hostium proram petere contendebat. Tum Romani carioso et putrido, ut postea dixerunt, diffisi scalmum ac demissae desuper rapido aquae cursu remisque valide impulsis fortiter irruentis scafae impetu mergi timentes cursu deflexerunt et securum Valentinus sine contentione transitum permiserunt. Exorto exinde vectorum pontificis clamore alacritate pleno, sedens ipse tunc primo qui orationi institutisque erga deum officiis ad eam horam iacens et magna itineris parte tacitus

vacasset quo gesta essent modo omnia repetebat, et laudatis pro virtute omnibus, multa pollicitus, turrim adlabitur Ostiensem\*.

\*Martin V (Eugene's predecessor) had the Tor Boacciana (perhaps originally a Roman lighthouse) rebuilt. Biondo refers to it when he is describing Ostia in *Italia Illustrata* 3.4 where he says that little besides the tower survives of the old city and the harbour built by the emperors is gone.



### What Happened Next?

The pope was prevented from leaving the Tiber and meeting up with Vitellius's trireme at Civitavecchia by a contrary wind. They remained overnight at anchor. There was a gathering of the curia, as all the other members of it who had fled from the dangers at Rome had also been forced to wait there in boats until the wind dropped. The Romans who had pursued the pope returned to the city. Some remaining members of the curia were robbed but others were looked after by good citizens. The pope's men who were in the Castel S. Angelo attacked their besiegers and drove them to the Capitol. Baldasar Offidanus, the prefect of the fort in the Castel S. Angelo, made an attack across the bridge and laid waste to the surrounding areas. Fortebraccio made a truce with the Romans when he heard of the insurrection, and an alliance with Piccinini, and they attacked the Sforza forces who had withdrawn from the Porta Appia. Hostilities continued in the region round Rome. At Ostia, eventually the wind changed and the pope and all his companions were able to sail from Civitavecchia to Pisa in two triremes. The Florentines welcomed Eugene to Florence on the eve of the Festival of John the Baptist, with an especially lavish procession. The feast-day of John the Baptist (24 June) was the chief civic festival in Florence, significant in economic and social terms as well as political and religious.

Looking back on Eugene's reign as an example of misfortune

18) Poggio Bracciolini, *De varietate fortunae* Bk 3, ed. Outi Merisalo, 133-4.

Nam raro tantam provinciis Romanae ecclesiae vastitatem, tantam calamitatem hominibus alterius attulit pontificatus. Bellis quassatae atque afflictatae regiones, vastatae urbes, disiecta oppida, populati agri, itinera latrociniis infesta, multa ferro igneque assumpta, ad

quingenta amplius loca aut diruta aut foede a militibus direpta, nullum genus saevitiae effugerunt. Plures dirutis opidis pro servis venundati, nonnulli carceribus enecti fame, Romam ipsam diutino bello afflictam amissis fortunis, omni spe subsidii destitutam novas res moliri et a pontifice desciscere desperatio coegit . . . Tantorum causam malorum quidam in ipsum pontificem ut bellorum cupidum reiciunt; quidam consultores (nam ipsum paci consulentem asserunt) aliorum suasu ad bella impulsus culpant. Ego in eo plures virtutes fuisse cognovi, sive verae fuerint, sive, ut multi obiiciunt, fictae. Id quidem, sive hominum, sive temporum vitio tribui placet, satis constat nullo superiorum pontificatu adeo malam fortunam subditos ecclesiae Romanae fuisse expertos.

Poggio Bracciolini (1380-1459) served Eugene IV in the curia with Biondo. One of the most famous of the humanists for his discoveries of lost Latin texts.